

rie frequenter obliuio et longinquitate sepe fit temporis, quod clara presentibus, redduntur obscura futuris. Quare aduersus dispendium obliuionis de scripture suffragio prudentium cautela prouidit. Notum igitur esse volumus per presentes, quod cum domus alique, specialiter propter pauperum transeuncium commoda et quietem fuerant in medio silue emordh ab antiquis constructe temporibus, sed propter inopiam, et penuriam sustentacionis inhabitatoris crebrius destitute. Nos pauperum per dictam siluam transeuncium vtilitatem, et commune bonum promouere volentes, Cum apud ecclesiam særisstadhum, Anno domini Millesimo, Trecentesimo, secundo. die beati thome martýris visitacionis officium ageremus petiuimus a dicte ecclesie, Ecclesiarumque sudheralum et hanabo parochianis, quorum communitas ius habere dicitur in silua circumiacente locum dictarum domorum, quod pro sustentacione inhabitantis nunc et pro tempore inhabitancium dictum locum de silua viciniore dictis domibus ad spacium vnus miliaris perpetuo assignarent, Qui nostre peticioni beniuole annuerunt appositis condicionibus infrascriptis, videlicet quod dacio seu assignacio dicti miliaris in dicta silua sit specialiter pauperum transeuncium vsibus appropriata. Ita quod dictum locum talis incolat et inhabitet, absque iuris hereditarij vendicacione, qui vlt, et potest se in premissa negocio vtiliter exercere. Item quod in predicta miliaris assignacione, non inuoluatur seu includatur silua alicui velle specialiter appropriata, Item quod vltra sepredictum miliare predictarum domorum inhabitator communis silue vsum non habeat absque possessorum requisicione, et licencia speciali. Item quod homines predictarum trium parochiarum infra illud miliare piscari in aquis, cum retibus et sagena, et cortices in silua colligere, et pascua pro suis pecoribus libere valeant habere, Agros tamen et prata infra dictum miliare nulli facere liceat alteri nisi inhabitatori domorum predictarum. In horum igitur testimonium euidens sigillum nostrum presentibus est appensum, Actum loco, anno, et die prenotatis.

Sigillet bortfallet från den ur brefvet klippta remsan.

*På fränsidan:* Littera de silua emordh in helsingya.

1378.

1303 Odat.

RAGNHILD SPIELBUDES dotters testamente af jord och penningar till kyrkor, kloster och andra andeliga stiftelser.

A. 3. a.

In Nomine Domini Amen. Cum mortis dies et hora cunctis mortalibus sint incerta, Jdcirco Ego RAGNILDIS FILIA SPIÆLDBUDÆ vxor beronis Jngulf-suns

suns mente et corpore incolumis per gratiam ihesu christi, Diligenti deliberatione prehabita, meum infrascripto modo, condo, facio, et ordino testamentum. In primis, apud Ecclesiam vpsalensem, in Capella beate virginis mei corporis eligo sepulturam. Ad fabricam autem dicte Ecclesie vpsalensis, do, et lego, quinque solidos terre in øby parochia nees, mere, de communi mariti mei, et meo peculio conquisitos. Item fratribus minoribus vpsalie lego vnam Marcam denariorum, Item domui dei vpsalie, duas Marcas denar., Item fratribus Predicatoribus sictunie, duas Marcas denar., Item monasterio sco, vnam Marcam denar., Item ecclesie dalby, duas marcas denar., Item ecclesie laza, duas marcas denar., Item Ecclesie askanæs, duas Marcas denar. Predictas autem duodecim marcas piis locis legatas, solui uolo per huiusmodi Testamenti mei executores, integre de bonis meis mobilibus, antequam bona ipsa ab heredibus adeantur, seu eciam occupentur, Executores huius testamenti constituo et humiliter peto, venerabilem patrem et dominum, Dominum meum archiepiscopum vpsalensem, et Magistrum Andream prepositum vpsalensem, et, Dominum benedictum boson, supplicans, vt propter dominum meam premissam implere velint, et exequi voluntatem. Quod si predicti executores omnes hiis exequendis interesse nequuerint, uel noluerint, ille uel illi eorum qui uoluerint et valuerint, nichilominus exequendi ea plenariam habeant facultatem. Testes autem huius testamenti mei taliter ordinati in Testimonium specialiter uocati et Rogati sunt Parrochiani Ecclesie dalby infrascripti, videlicet dominus Andreas dicte Ecclesie presbiter, Thorbernus de Tunum, Emundus et Jngi in nyby, Nicolaus et Johannes et boddi in læsli, vlfo et kætaluastus in seby, laurencius et Olauus villici in granum, Petrus in nyhili, biorn sunason, Andreas Jngiualdus et signuastus in vbbý, Ospaker et Jacobus villici in Tunum, Jngimundus smidher, Thordher in Endæstum, Tubbi in aluarstum, botti in brunnum, Erlendus et Jngo et multi Alij de parochia predicta. In Cuius rei testimonium, quia sigillum proprium non habeo, sigillum venerabilis Patris, Domini Nicolai Archiepiscopi vpsalensis, et sigilla honorabilium uirorum, dominorum Mathie et Nicolai Canonorum ibidem presentibus apponi peto. Actum Die et loco supradictis, Anno Domini, Millesimo, Trecentecimo Tercio.

Sigillen: N:o 1 söndrigt; N:o 3 andeligt, nästan oskadadt; N:o 2 och 4 bortfallna, remsorna qvar.